

**Dissertatio medica de obesorum ad morbos mortemque proclivitate. Von fetter Leute schwachen und kräncklichen Natur ... / [Balthasar Ludwig Tralles].**

**Contributors**

Tralles, Balthasar Ludwig, 1708-1797.  
Ehrlich, Johann Christian.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Litteris Hilligerianis, [1730]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gjdf2rav>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
DE

**OBESORVM AD  
MORBOS MORTEMQVE  
PROCLIVITATE**

QVAM

J. N. S. S. T.

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN

ALMA FRIDERICIANA  
PERMISSV

PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI

*Ad d. Dec. Anno MDCCXXX.*

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PVBLICE SVBMITTIT

PRÆSES

**JOH. CHRISTIANVS EHRlich,**

MED. DOCTOR

RESPONDENTE

BALTHASARO LVDOVICO Tralles,

VRATIS. SILES.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

LITTERIS HILLIGERIANIS.

DISSERTATIO MEDICA

DE

OBSEQUIORVM AMAL  
MORBOS MORTEMQV  
PROCVLIVATE

QVAM

IN S. S. T.

GRATIOSE FACULTATIS MEDICAE

IN

ALMA FRIDERICIANA

PERMISSV

PLACIDA ERVDITORYM VENTILATIONE

ALMA FRIDERICIANA

HONORIS LOCVOVE COMMISSIS

FRANCIS WIMPTER

PRESSES

IN GIBBERSTADTIS EHRICQ

ALMA FRIDERICIANA

RESPONDENTE

BALTHASAR LUDOVICO STALLIO

VERUM, 1768.

ALMA FRIDERICIANA

LITTEAE BLESENSE

VIRIS

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTIS-  
SIMIS, CONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSI-  
MIS ATQVE DOCTISSIMIS,

DOMINO

D. FRIDER. HOFFMANNO

COMITI PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO  
MEDICO REGIO ET PROFESSORI IN ACADEMIA FRI-  
DERICIANA PRIMARIO ET SENIORI, SOCIETATIS SCI-  
ENTIARVM CÆSAREÆ, REGIÆ BRITANNICÆ  
ET BORVSSICÆ SODALI.

DOMINO

D. GEORGIO ERNESTO  
STAHLIO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORVSSIÆ RE-  
GIS ET ELECTORIS BRANDENBVRGICI CONSILIARIO  
ET ARCHIATRO PRIMARIO, PRÆSIDI COLLEGII ME-  
DICI SVPREMI BEROLINENSIS GRAVISSIMO NEC NON  
PROFESSORI ORDINARIO IN REGIA FRIDERI-  
CIANA SPECTATISSIMO,

DNO

DOMINO

D. MICHAELI ALBERTI

REG. MAJ. BORVSS. AVLICO ET CONSISTOR.  
MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILO-  
SOPHIÆ NATVR. PROFESSORI PVBL. ORDIN. ACAD.  
NAT. CVRIOS. COLLEGÆ, SOCIET. REG. BORVSS. SCI-  
ENT. SODALI, NEC NON h. t. DECANO FA-  
CVLTATIS MEDICÆ SPECTA-  
TISSIMO.

DOMINO

D. JOHANNI JVNCKERO

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA MEDICINÆ DO-  
CTORI AC PROFESSORI PVBL. ORD. LONGE CELE-  
BERRIMO, PÆDAGOGII REGII ATQVE ORPHANOTRO-  
PHEI GLAVCHENSIS AD HALAM MEDICO OR-  
DINARIO SPECTATISSIMO

DOMINIS MÆCENATIBVS

ATQVE

PATRONIS SVIS

OMNI PIETATIS CVLTV AC OBSEQVIO  
AD CINERES VSQVE DEVENE-  
RANDIS


FELICITATEM PERPETVAM.



A. & Ω.

PRÆLOQVIVM; 1

**M**ulti videntur & non sunt : si quid unquam extra omnem dubitationis ac controversiarum aleam positum fuit, hocce sane tritum esse judico, testem proferens experientiam rerum magistram. Homines enim tam moraliter æque ac physice considerantes, convincimur hancce assertionem veritatis circulos neutiquam turbare. Multi enim homines moraliter quidem sani videntur nihilominus tamen variis animæ vitiis laborant, animique affectibus ægrotant. Multi religionis ac pietatis studiosissimi videntur, re ipsa vero sæpius pietatis simulatæ larva stupendam satanæ imaginem tegunt. Multi fide ac pietate consumatissimi videntur Theologi, in quorum cordibus tamen ne mica veræ fidei ac pietatis incandescit. Hi sunt ex illorum choro, a quibus credentes olim est dehortatus Jesus Salvator mundi, vivis illos depingens coloribus, his verbis : *Sehet euch für vor den falschen Propheten, die in Schaafs-Kleidern zu euch kommen, und inwendig sind sie reisende Wölffe.* *Matth. Cap. VII. v. 15.* Multi videntur boni, justi, conscientiosique Jcti justitiam rite exercentes, re ipsa vero variis stratagematibus jus torquent & studio



dio sæpius in injustitiæ oberrant Labyrintho. Multi vere rationales videntur medici genuique Apollinis filii, si vero eorum institutas examinamus curas, superflue illæ docent, illos minus tales esse, quales se profitentur. Vix America frugilis monstrorum mater tot profert atque suppeditat monstrorum genera, quot illegales, illegitimas, spurias, empiricas imo monstrosas morborum curationes fingunt atque institunt medici rationales quidem visi, reapse vero ad empiricorum castra relegati, quos reddidi delaryatos *in mea diss. Præs. B. Coschvitzio de damnis ex empiria medica oriundis*, habita. Egregii multi videntur philosophi universam scientiam ad unguem usque demonstrative deducturi, re ipsa vero minus tales deprehenduntur, dum sæpius nugas tantum bullatas steriliaque venditent verba, ut rusticis nonnunquam philosophando cedere cogantur. Si per omnia vitæ genera hocce axioma illustrare vellem, periculum sane facerem atlanticum mare cotyla exforbere. Ad physicam itaque hominum considerationem me convertens non possum non, quia quoque erumperem in exclamationem; *Multi videntur & non sunt*: uti ipsam experientiam pro nobis loquentem habemus. Multi videntur maturioris esse ætatis ob corporis peculiarem dispositionem, consistentem, robustam, proceriorem ad maturiorem ætatem inclinantem, uti sæpius cernendum in pueris juvenibusque, quorum aspectus externus maturiorem mentitur ætatem; e contra quoque dantur subjecta quæ juniora videntur ob corporis parvam debilemque staturam morbosamque dispositionem; nihilominus tamen maturioris deprehenduntur ætatis, quale mihi quondam obtigit exemplum in subjecti foeminini anatomica disquisitione, quod ob corporis parvam, gracilem, debilemque staturam ac pubertatis signorum defectum & absentiam vix pro persona duodecim annorum habuissem, cum tamen ex Parentum confessione demum perciperem, filiam jam pridem annum ætatis vigesimum absolvisse. Ratione temperamentorum, quæ sæpius quoque medi-

cum in dijudicando fallunt, nostrum assertum nullo difficultatis laborat lapide. Quid dicam de potentia & impotentia matrimonium ineundi l. dissolvendi? Multi quoad externum corporis aspectum capaces videntur atque potentes, quantum vero huic conjecturali præsumptioni ac iudicio fidendum, ipsa sæpius res atque experientia loquuntur. Multi videntur corporis sani, integra, perfecta atque illibata frui sanitate, quæ tamen languentibus incedit pedibus. Vox itaque prætereaque nihil. Licet itaque homines nobis sani videantur, nihilominus tamen naturalem corporis sui dispositionem & propensionem ad morbos mortemque pronissimas secum portant, quæ levi data causa in actum deducuntur. Sanitatis itaque examen comparative tantum & secundum majus & minus instituendum. Multi enim majori proclivitate præ aliis morborum subeunt castra, alii minus proclives existunt ad morbos & hos insequentem interitum. Omnes interim homines morbis morteque damnati sunt amissa imagine divinæ. Egregium itaque illud Sapientissimi *Senecæ* dictærum; *omne humanum genus, quodque est, quodque erit morte damnatum esse*, huc referri meretur. Non minus scite quam vere *Seneca Tragicus* proclivitatem ac dispositionem naturalem & propriam hominum inspiciens atque perponderans, dixit:

*Ubique mors est*

*Mille ad hanc aditus patent.*

quibus verbis varias morborum causas extrinsecas æque ac intrinsecas tacite indigitasse videtur. Per se demum patet, omnes homines morborum constituere subiectum, quare *Cic. Tusc. ex Eurip. 3. 25.* ita exclamat: *mortalis nemo est, quem non attingat dolor morbusque*; Unus tamen præ altero majori ad morbos mortemque premitur proclivitate. Exemplum de summa ad morbos mortemque proclivitate occurrit in *Obesis*, qui tamen perfecte sani videntur, ob procliviorem vero ad morbos dispositionem minus pro talibus venditandi veniunt: De hac itaque materia ex benigno *Gratiosæ Facultatis medicæ* consensu





sensu in hac dissertatione *de Obesorum ad morbos mortemque proclivitate* inscripta fufius differam. Quibus conatibus meis ut *Sacratissima divini Numinis Clementia* ex alto benedicat, ardentibus exopto votis.

§. I.

**C**UM nominum explicationes ad rerum perceptionem testante subtilitatum magistro *Scaligero Exerc. I.* multum faciant, merito in cujuslibet vocabuli principalioris in titulo deprehensi originem inquiramus. Obesus est vox composita *Ob* & *edere* quod in concreto germ. *verzehren*, *benagen*, *befressen*, audit, pro sua agnoscens radice. Hujus vis vocis duplicem involvit sensum. Primo proprie idem significat ac *gracilis*, *macilentus* germ. *Dürr und mager*, quod sc. ejusmodi farinae homines multum semper edere l. *obedere* soleant sine notabili tamen sui corporis incremento, & quod in comparatione cum aliis subjectis pinguioris indolis, spongiosiorisque ac laxioris corporis habitus plus edere in more habeant, adeo ut sæpius quoque minutissimas ab ossibus obedant ac abrodant fibras, quod vulgarter *effari* solet: *Dürr und magere Leute* essen gerne viel, sie nagen recht alle Knochen ab. Secundo improprie & κατ' ἀντιφρασιν pro pingui, crasso sumitur, germ. *feist*, *fett*, *mastig*, *untersekt*, *glatt*. Hic significatus, triplicem, ut opinor agnoscit rationem, quod scilicet *obesi*, antequam *obesitatem* acquirunt, voraciores ut plurimum existant, multumque edere soleant, donec corpus valde nutritum ac satiatum sit imminente *obesitate*, qua apparente demum hæc voracitas remittere solet, communis propterea existat locutio, *fette Leute* essen nicht gar zu viel, wenn sie sich einmahl recht ausgefüttert, so essen sie bey weiten nicht so starck; l. quod ejusmodi homines, cum l. plane non, l. parum tantum edant, nihilominus tamen vivant ac nutriantur, cum pinguedo in appetitus variis ex causis oborti defectu ad corporis impendatur nutritionem, & interdum iterum consumatur, quare vulgus loqui consuevit: *Fette Leute* können schon von der Schnur oder von Leibe zehren, sie haben zuzusehen; l. quod, quia maxime satiati deprehenduntur, adeo *gulosi* existant *cupediisque* delectentur, ut tantum optimum sibi eligant ciborum, ideo-

ideoque cibos tantum obedant: Solche Leute stochern nur im Essen, und suchen sich nur das Beste und Wohlgeschmeckteste heraus.

§. II.

Morbus quasi *μóρος βίαις* virium corruptio est vox primitiva & habitum corporis contra naturam, imbecillitatem, ægrotationem, invale tudinem, affectionem alicujus membri a præveniente causa excitatam ejus lædentem actionem germ. Leibes Schwachheit, Kranckheit designat. Variè describitur ac definitur ab autoribus quorum nonnulli per corporis constitutionem, qua actionibus rite obeundis inepti sumus, alii per pravam hominis constitutionem functiones quales eunque lædentem illum definiunt. An vero τó formale exhauriant morbi non inquiram, ne quarta natus videar luna.

§. III.

Proprius ad mortem accedens simul proprius ad ejus nominis ex plicationem accedo philologicam. Mors græcam agnoscit fontem, quam efficit *μóρος* quo fors fatalis seu fatum significatur; Unde *μορίω* Poët: pro *interficio* quia mors *interficit* homines. Nonnulli mortem a primi hominis *morsu*, quo mortem meruit, alii a *mora*, quia nunquam moratur, sed semper & ubique nos moratur derivare student. Significat vero excessum e vita, extremum vitæ diem, supremum diem germ. Den Todt, das Absterben. *Cícero Tusc. I. 9. & 41.* illam definit per *animi discessum a corpore, dissolutionem, migrationem, commutationem vitæ, finem vitæ miseræ, & extremum omnium rerum. Fam. 6. 21. & Horatius Lib. I. Epist. 16.* illam per *ultimam rerum lineam*, canendo describit.

§. IV.

Proclivis ad ipsam tractationem aggrediendum tribus adhuc ver bis, proclivitatis examen absolvam. *Proclivitas* est vox composita ex *Pro* & *clivo* quasi *clino* a Gr. *κλίω* inclino, neigen, abschößig seyn. Proprie sumitur de leni montium decursu quo sensu legitur apud *Hirtium bello Afr. Cap. 37.* Improprè vero inclinationem germ. die Zuneigung significat. Hinc *proclivitas ad morbos, ad ægrotandum* legitur in *Cice rone Tusc. 4. 12.* Quem significatum arababus amplectimur manibus in præsentì tractatione. Est vero peculiaris dispositio corporis ob suam elementorum mixtionem, quæ levi data causa in sua temperie læditur, & itaque pronissima evadit ad varia morborum genera.

Quod obesi variis ex causis physico-medicis ob organismi & mechanismi necessitatem maxime proclives sint ad ægrotandum nostrum est assertum, & uti mihi videtur satis firmis ex rationis ac experientiae gremio petitis subnixum fulcris veritatis. Ne vero in limite impingam operæ pretium duxi, antequam ipsam ad morbos mortemque proclivitatem perspicuam reddam, obesorum essentiam dilucide prius expedire. Obesi itaque sunt personæ corporis habitu crasso, laxiori, spongiosiori ac molli, multa pinguedinis copia naturæ beneficio ubivis varium in usum, si modum non excedit, collecta gaudentes. Si vero pinguedo æquilibrîi excedit cancellos corporis ac sanitatis detrimento magis quam conservationi ac emolumento inservit. Non immerito iudico *obesi* vocem excessum ratione pinguedinis notare, quia obesitatis titulus non unicuique competit, cum tamen quilibet non omni pinguedine destitutus inveniatur, licet etiam exiguissimis tantum rigaretur rivulis oleosis ac pinguibus, quare, ut mea fert opinio, concludo, obesitatis vocem illam notare pinguedinem, quæ ratione quantitatis ac molis æquilibrium ad reliquarum corporis partium habitum, respectivo, excedit.

## §. VI.

Obesitas itaque corporis constitutionem crassam, robustam, pinguem germ. die Fettigkeit & præter Naturam pinguedinis accumulationem exprimit, & differt a pinguedinis voce, quæ ipsam materiam & substantiam pinguem & oleosam germ. das Fett significat. Vox vero *obesi* ac pinguis in medicorum scholis non distinguuntur, sed pro lubitu indiscretium applicantur, & pro una eademque habentur.

## §. VII.

Obesitatis itaque Subjectum primo constituunt omnia animalia ipsa loquente experientia, cum vero mihi ut medico non de animalium in genere, sed de hominis obesitate in specie sermo sit, ad hanc etiam metam meum unice dirigam animum. Hominem itaque contemplaturus adstruo obesitatis subjectum esse ratione ætatis, ætatem infantilem ac virilem. ratione temperamentorum, temperamentum sanguineum, phlegmaticum & ex his potissimum composita, & ratione vitæ generis eos, qui


qui otio & lautæ indulgent diætæ ; Quæ omnia seorsim nunc examina-  
bimus.

§. VIII.

Ætas infantilis ob corporis constitutionem mollem, laxam ac hu-  
midam, largius nutrimentum, motus localis defectum & somni copiam,  
cui maxime indulgent infantes, uti & cæco manifestum est, obesitatis  
constituit subiectum. In fibrarum laxitate corporis nutritionis ac aug-  
mentationis positum est fundamentum, alias nec locum dare particulis  
nutrientibus, nec earum impulsui posset cedere, hæc vero æquilibrium  
non transgredi, nec nimia esse debet, sed ad vires circulantes proportio-  
nata ac adæquata, ne fibræ illæ minimæ destruantur. *Vid. Exc. HOFF-*  
*MANNI disp. de Proceritate corporis.* Si vero fibræ humorum affluente  
copia nimis in suo tono relaxando destruantur, humores diu in earum per-  
morantur interstitiis quia eorum transpressio ob toni debilitatem segnior  
procedit, quare etiam particulis pinguioribus eo commodius, facilis &  
citius se fibrarum apponere concreto, janua panditur. In aprico est in-  
fantibus laxiores esse partes solidas, quare etiam citius majus capiunt  
incrementum, ac pinguedinis copiam, in quo asserto nostras defendit par-  
tes *Cl. STENZELIUS in diss. de Lactis succique nutritii Preparatione*  
*principiis commodis atque incommodis*, ita dicens: *Quibus laxiores sunt*  
*partes solida citius & majus capiunt incrementum.* Huc suum quoque  
affert symbolum largius nutrimentum, quo ad nauseam usque sæpius  
nutriuntur infantes, quare etiam, si lac præprimis nutricis succi nutritii  
copia scatet atque abundat, pinguedinis partes undique apponuntur, quia  
succus suppeditatus nutritius ad corporis incrementum adæquatum in-  
tegre impendi nequeat,

§. IX.

Huic accedit motus localis defectus, quo mediante alias transpira-  
tionis insensibilis negotio rite succedente, multum corpori decedit, *vid.*  
*Sanctorius in Medicina statica*, quod per novum nutritii succi accessum  
compensati oportet. De hujus veritate convincimur in subiectis valde  
laboriosis & laborioso vitæ generi assuetis, in quibus pars pinguis ac  
oleosa reliquis humoribus admixta nimis resolvitur, ut transpirationis  
insensibilis l. madoris beneficio simul e corpore avolet. *conf. Ferneli*



*ns in universa medicina Lib. I. Cap. XV. p. 43.* Quod vero nutritionis negotium passum fuerit detrimentum ex illorum elucet corporis lassitudine, quod vero in infantibus non contingit; quare etiam, ne massa sanguinea nimis obruatur lymphæ nutritiæ ob perpetuum novi liquoris nutritii accessum, sapientissime a Natura fuit provisum, ut sanguis se, mediante particularum pinguium ac oleosarum appositione superfluo exoneret succo nutritio. Hinc pinguedo secretionis beneficio ab illo secedit, infundens se in propria sua cellula, in quibus tam diu residet ac asservatur, donec iterum in subsidium ab ipsa vocetur natura. Consumitur vero paulatim crescente infante, quia corporis incrementum ac augmentatio plus desiderat materiæ nutritiæ, quam ab ingestis vix suppeditari potest, quare etiam ut plurimum infantes, si corpus in longitudinem valde augetur, macilentiores evadunt.

§. X.

Quod somnus quoque obesitati locum faciat extra dubitationis aleam est positum. *vid. COSEHWITZII Physiol.* Sub illo enim paulo tardius incedit sanguinis circuitus, quare etiam eo citius partes oleosæ ac pingues fibræ ac membranæ apponi queunt, quod vigiliarum tempore ita evenire non solet, quia illius motus localis ac progressivus variis ex causis valde turbatur, ut pro re nata l. auctior celeriorque volvatur, l. plus justo tardior incedat. *Lennius de Complexion. Lib. I. p. 77.* attestatur, illos, qui somno ac ventri liberalius, quam par est, indulgent, tam obesos & corpulentos effici ut pectori committatur mentum, & ut *Persius Sat. I.* canit:


*Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet*

Et *Læberus in Anchora Sanitatis* somno quoque adtribuit, quod pinguefaciat. Et puero manifestum est, ea animalia, quæ per maximam hyemis partem somno ac quiete fruuntur, pinguiora fieri. Narratur itaque de ursis, marmotis s. muribus alpinis germ. *Mürmelthier* & præcipue de gliribus quod maximam temporis partem somno consumant præsertim tempore hyberno dormientes crescant ac pinguescantur, secundum illud *Martialis* ubi glis ait

*Tota mihi dormitur hyems & pinguior illo*

*Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit*

Quem



Quem pinguefaciendi modum monachis etiam tribuit Scaliger Exercit 314. XI.

Ætas virilis obesitatis subiectum potissimum eam ob rationem evadit, quod scilicet, cum corpus quoad longitudinem & latitudinem sufficienter auctum crescere desinat, ob succi nutritii abundantiam, qui superfluus a partium solidarum nutritionis oeconomia remanet, ejusmodi collectiones materiae pinguis ac oleosae eveniant. Superfluum itaque se suis appropriatis apponit partibus ibique colligitur & in nutritionis subsidium reservatur. Distensione itaque in longitudinem cessante succi abundantes ad carnis laxiorem derivantur substantiam, quare etiam corporis moles amplior redditur ejusque latitudo augetur. Dicit itaque STENZELIUS l. c. *hinc juvenes macilenti sæpius viri facti maximam contrahunt obesitatem.* Hoc enim ætatis articulo secundum naturæ leges in statu naturali omnes se & excretiones ob corporis robur tonicum & calorem naturalem sibi respondentem ac adæquatam rite procedunt, pulsus & sanguinis circuitus satis vegetus observatur, appetitus etiam his omnibus respondet. Multa itaque rebus sic stantibus succi nutritii generatur copia, cum vero in corporis nutritionem non plenarie impendi possit, necesse est, ut pinguedinis collectio abundans contingat. Quid quæso itaque obstat, his omnibus pensitatis, quod ejusmodi homines, si præprimis bona lautaque accedit diæta, non possint pinguescere, multaque pinguedinis copia, ut peculiari integumento, suum obducere corpus?

§. XII.

Quod demum temperamentum sanguineum, phlegmaticum & ex his composita ac mixta concernit temperamenta electro lucidius unicuique ex physiologicis patebit, hæc præ aliis magis disposita esse ad pinguedinem, licet non negandum, quod reliqua temperamenta non omni careant pinguedine, nihilominus tamen denominatis temperamentis magis familiaris deprehenditur obesitas & in majori præ reliquis nascitur pinguedinis copia. Quilibet rationes ex physiologicis, qui modo prima Apollinis palæstræ calcavit limina, colligere potest, quas corporis structura mechanica, porosa ac laxa & motuum tam sequam excretoriorum huic accommodata conditio sat abundanter suppeditant. Præ omnibus personæ temperamenti phlegmatici magis inclinant ad obesita-

rem, quia earum corporis habitus maxime spongiosus, porosus ac laxus existit, qua de causa etiam sanguinis circulus, motus se & excretorii non quidem difficulter, veruntamen languide ac lente incedunt, quare etiam partes oleosæ, pingues, gelatinosæ, nutritiæ lymphales sub leni illorum humorum motu locali, magis se solidis apponere possunt partibus, unde etiam præ aliis in magnam excrescunt molem *vid. COSCHWITZII Phys. Sect. I. Cap. IX. p. 218.* De his ita canit *Schola Salernitana: Phlegma facit pingues, sanguis reddit mediocres.* Huic proxime succedit temperamentum sanguineo-phlegmaticum & phlegmatico sanguineum. De illo dicit B. COSCHWITZIUS *l. c.* quod optime nutriantur & ad proportionatam pinguedinis appositionem & corporis augmentum inclinent, de hoc vero hæc facit verba, quod magis succedat corporis expansio in latum & magis obesi fiant phlegmatico-sanguinei. *conf. FERNELIUS l. c.* ubi corporibus frigidioris naturæ qualia possident descripta temperamenta copiosam tribuit pinguedinem. Huc quoque referri merentur sanguinei, qui etiam inclinant ad obesitatem secundum illud *scholæ Salernitanæ* effatum: *Natura pingues isti sunt.*

### §. XIII.

De iis, qui otio indulgent ac lautæ diætæ & quieto vitæ generi dediti sunt, non est dubitandum, quin obesitatis constituentur subjectum, præprimis si peculiaris ratione temperamenti accedit corporis constitutio, quæ per se pronissima est ad obesitatem. Otio ac quieto vitæ generi assueti, ordinarie, nisi morbo detineantur, & si victu potiantur ordinato, pinguescunt & ad obesitatem perveniunt. *conf. COSCHWITZII Phys. Sect. II. Cap. II. p. 266.* Contingit enim in iis lymphæ nutritiæ accumulatio, quia motibus orbatii sunt ejusmodi homines, sub quibus alias certo respectu particulæ oleosæ, pingues simul resolvuntur, & ita resolutæ una cum reliquis humoribus seroso-aquosis e corpore exhalant. Hæc vero resolutio non cadit in otiosos, quare: etiam superfluum lymphæ nutritiæ in corpore remanet, ne vero ob perpetuum novi succi nutritii, ultra motum massa oneretur sanguinea ab ipsa provisum fuit natura, ut se superfluo per pinguedinis appositionem exoneret. Per lautam demum diætam, multa quoque gignitur succi nutritii copia, imo abundantia, quam ex necessitate physico mechanica pinguedinis subsequitur collectio. Testatur & hoc *Exc. HOFFMANNUS*

*nus in Med. Syst. P. I. Lib. 1. Sect. II. Cap. II. p. 164. ita dicens: Quicumque copiam chyli pinguis generant, insuper temperamento calido ac humido gaudent corpus parum exercent, & tranquilla mente utuntur, ii facile pinguescunt.* Hæc vero pars oleosa ac pinguis cum particulis seroso-aquosis transpirationis beneficio ob motum languidum ac lentum otiosis familiarem excerni non potest, quare etiam in corpore retinetur, ubi se demum fibrosis apponit partibus.

§. XIV.

Haftenus locuti sumus de obesitatis subjectis, restat nunc demum, ut paucis absolvamus, quatenus obesi morborum constituent subjecta mortisque evadant candidati. Si corporis humani mixtionem animalem in genere sollicite paululum perlustremus, invenimus illam maximæ infirmam & summe corruptibilem esse vid. *Exc. STAHL diss. de frequentia morborum in corpore humano præ brutis*, ob principii aquei ac pinguis largiorem concursum, quæ non bene inter se conveniunt vid. *Exc. ALBERTI Introduct. in univers. medicin. P. I. p. 45.* Hæc vero mixtio animalis aliqua tamen nititur proportione principiorum sibi respondentente, sine qua minime persistere posset. Cum vero, licet quædam adsit proportio, nihilominus tamen magna infirmitate ac ad corruptionem propensione laboret mixtio animalis, quo magis non iis laborabit interveniente multa pinguedinis copia mixtionis adæquatam excedente proportionem. Sanitatis character sane versatur circa motuum tam sequam excretoriorum æquilibrium, quod æquilibrium præsupponit partium solidarum motus adæquatos & debitam proportionem ac temperiem inter partes solidas æque ac fluidas sibi invicem respondentes. Si enim partes fluidæ proportionem erga partes solidas excedunt hæc in suo perturbantur officio. Debilitantur enim in suo robore tonico a majori plus justo fluidorum quantitate, fibræ itaque relaxantur, ductus atque canales se- & excretorii oppilantur, quæ demum oppilatio alios variosque provocat affectus morbosos. Si vero partes solidæ non sufficienti humorum rigantur quantitate, nequiquam locum sibi vindicare poterit ullum æquilibrium, quod sanitatis efficeret characterem.

§. XV.

Nunc inquirendum erit, an obesi justa proportione, temperie atque æquilibrium inter partes solidas ac fluidas, earumque motus se- & ex-  
cre-



cretorios, & per consequens illibatae sanitatis gaudeant caractere, an vero illo destituti, maxima proclivitate ad ægrotandum, qua mediante in morborum irruant castra, teneantur? Posterius affirmantes prius negamus. Obesi equidem videntur sanitate frui integra, perfecta atque illibata, nihilominus tamen magna obruuntur propensione morborum subeundi palæstram ob pinguem corporis sui constitutionem, quæ morborum sane constituit fomitem. Illustris HOFFMANNI autoritas nostro, asserto haud exiguum addit pondus in *Med. Syst. P. I. Lib. II. Cap. XI. p. 434.* his verbis: *obesi & l. sero l. sanguine repleti, quam maxime in morbos proni ac proclives sunt, & tam ab animi turbationibus, quam externis rebus, ut frigore, calore, graves patiuntur lesiones, & morbo quodam correpti egre convalescunt.* Comparative igitur tantum obesi videntur esse sani, sed nuquam athleticè vivunt sani, & si etiam vivant athleticè, nihilominus tamen morbi illis sunt infensiofissimi. Hac in re Dominus ALBERTI dicit in *diss. de Torturæ subjectis §. 10. p. 44.* *Subjecta admodum obesa & pingui corpore prædita, quæ licet nonnunquam athleticè sana videntur, tamen repentinis & multiplicibus morbofis incommodis obnoxia sunt.*

## §. XVI.

Huic asserto se associat Cel. STENZELIUS *l. c.* ita ajens. *Nimia obesitas revera solidarum infirmitatem partium inducit, aliisque exinde derivandis malis ansam præbet.* Non minus veneramus felicissimi artis medicæ restauratoris Hippocratis autoritatem sic in modum loquentis: *Qui natura valde sunt crassi celerius moriuntur, quam graciles. vid. Aphor. Lib. II. Aph. XLII.* HEURNIUS sic commentatur in hunc locum rationes adjiciens sequentibus: *Quia spiritus calidumque nativum non potest in tot annos vitam producere & œconomia naturali non tam bene consulitur ob frigus, in crassis atque in gracilibus. Cum autem in morbos inciderunt, egre illis defunguntur, ob caloris nativi infirmitatem corporis densitatem, venarumque angustiam: Hinc etiam obnoxii sunt corruptioni succorum. vid. in b. l. p. 146.* Licet quidem nonnulla ex his ad nostram regerenda essent hypothesin, illa tamen sicco præteream pede, Plenior corporis habitum periculosum esse Hippocrates quoque docet *Lib. I. Aphor. 3. Galenus Lib. III. de differentia morborum. Cap. 9.* maxime vero Avicenna *septima quarti tract. 4. Cap. 5.* his contestatur. *Mors super*

*super ultimatis in pinguedine festinat, & proprie illos, qui impinguantur in prima etate; isti enim sunt expositi apoplexia & paralyfi &c.* Cel. JUNCKERUS in *Conspectu Medic. theoret. pract.* Tab. II. pag. 12. non minus satis acute judicat, nimiam obesitatem totam vitam reddere molestam, quibus ut opinor ad ægrotandum notare voluit, procliviratem. Lemnius non minus l. c. testatur, obesos magno expositos esse sanitatis ac vitæ periculo. Ex tot itaque Celeberrimorum Virorum consensu pater sufficienter obesorum sanitatem ob crassam, pinguem, mollem & laxiorem corporis sui constitutionem languentibus incedere pedibus. Talem Steeghiius in *arte medica Lib. III. cap. I. p. 90.* neutram vocat, quod quidem corpus sanum sit, verum ita imbecille, ut sæpe incidat in morbos. Quod vero corpus imbecillum præ robusto promptius & facilius vitium & læsionem recipiat III. testatur HOFFMANNUS in *diss. de corporum dispositione ad morbos.* Seorsim itaque ad instar exempli nonnullos examinabimus morbos, e quorum examine confirmatam veritatem nobis obviam ituram esse videbimus.

§. XVII.

Quod infantes variolæ præcipue infestent nec rusticum fugiet. Ad hanc vero excretionem periphericam debitum requiritur robur tonicum partium solidarum pro illa adjuvanda ac facilitanda. Si vero hæc multa pinguedinis copia relaxatæ suo privatæ fuerint robore, hæc excretio satis languide succedit. Quo diutius vero hæc materia miasmatica humoribus admixta in corpore retinetur, eo noxior imo funestus timendus est exitus, quia humores majorem patiuntur corruptionem ac detrimentum in sua mixtione. His summe infectis ac inquinatis humoribus partes solidæ circulationis beneficio rigantur, sub qua etiam systema tangunt nervosum. Hoc vero ut pars sensibilissima ægre fert ejusmodi allisionem materiæ acris, causticæ; hinc oriuntur spasticæ tractiones, motus convulsivi, epileptici nec non interdum ipsa mors. Licet vero naturæ beneficio per motus adæquatos a centro ad peripheriam propelletur materia variolosa & e corpore eliminetur; nihilominus tamen ob corporis habitum spongiosorem, molliorem ac laxiorem, qualis est obesorum, majorem exercet sævitiam profundioresque relinquit foveas, majoribus incute vestigiis faciens locum. Præprimis in subje-

Etis pinguibus, obesibus, variolæ observantur confluentes ob majorem fibrarum laxitatem ac molliem. Hic affectus infantie offensiosissimus facilius ac citius invadit obesos & hi magis præ reliquis iis exercentur. Majorem, præsertim in obesos exercet crudelitatem, quando major accedit materiæ peccantis malignitas. Satis judiciose itaque dicit *Nentervus in Fund. Medic. theor-pract.* Tom. II. Tab. CXXXIX. p. 544. circa variolarum prognosin. *Infantes obesi & spongiosi valde habitus corporis in majori versantur periculo, quam reliqui.*

§. XVIII.

Proni sunt obesi ad *vertiginem pblegmaticam* ob partium solidarum molliorem ac laxiorem conditionem & humorum lymphatico-ferosorum abundantiam. Ab his humoribus una cum pinguedinis copia partes fibrosæ nimis relaxantur, debilitantur, ac earum robur tonicum abolendo infringitur, quare etiam dicti humores non tam prompte, uti decet, per vasa, præsertim capillaria, meare nequeunt. Stagnant itaque & sua mole meninges & genus nervosum premendo afficiunt, quibus omnibus dirus hic affectus sua debet natalitia. Suum quoque huc confert solum humorum motus, qui etiam in Statu naturali non semper æqualis & idem per omnia contingit loca. Vasa enim non ubique in recta currunt linea, sed situ anfractuoso, tortuoso & tractu serpiginoso, præprimis in capite incedunt, quare etiam humorum motus tardus evadit. *vid. Ill. HOFFMANNI diff. de Apoplexia.* Experimur hoc in machinis hydraulicis, ubi aqua in linea recta facilius propellitur, quam ubi multi anfractus tortuosi ac serpiginosi occurrunt. Cum itaque hanc ob rationem in iis qui roboris tonici gaudent vigore motus localis humorum per dicta loca tardius procedat, quo magis & facilius non eveniet in obesibus in quibus ut plurimum toni relaxatio ac debilitas occurrit. Vertiginis itaque periculo per quam facile expositi sunt obesi.

§. XIX.

Non minus quoque proclives existunt ad affectus nephritico-calculosos, ob partium laxitatem, quæ facilius recipit stagnationes. Per se liquet perpetuum decubitus atque affluxum humorum seroso lymphaticorum ad renes quorum secretioni ex parte sunt dicati, contingere, a quibus, si majori copia ac impetu affluunt in suo debilitantur tono, ma-

ior vero accedit debilitatio ac toni relaxatio pinguedine accedente, quæ, uti ex Sectionibus apparet, hunc præprimis occupat locum, quare etiam serosæ intra substantiam renalem contingunt stases, quæ ansam suppeditant ad hunc morbum atrocissimum *conf. Ill. HOFFMANNI* *diff. cit.* Notum est mihi in Patria exemplum fœminæ generosæ maxime obesæ, quæ sæpius atrocissime ab hoc torquetur morbo, cui nonnunquam se associant motus convulsivi & epileptici. Exemplum de summe obeso affectu calculoso enecato prostat: *in ALBERTI Jurisprud. med.*, in Appendice Partis II. p. 114.

§. XX.

Maximas etiam obesæ struit insidias scirrhus hepatis phlegmaticus, cum notissimum sit, hepar, ut organum secretionis ac lymphæ deputationis, facilius stasibus subjici posse lymphatico-serosis, *vid. COSCHWITZII Path. P. II. Sect. I. Cap. VII. p. 166.* Nimium itaque relaxatur hepar, quæ relaxatio atoniæ sternit viam, quæ demum januam pandit obstructionibus, hæ tandem generant scirrhum variaque symptomata hunc ordinarie concomitantia, donec mors ultimam ludendo tragœdiam vitæ finem constituat: *conf. Ill. HOFFMANNI diff. de scirrbo hepatis.* Pancreas ac glandulæ mesaraicæ eadem sæpius experiri coguntur fata ut extra toni spheram positæ, evadant scirrhosæ. Angustissimos enim habent tubulos ac vascula, quare humores hærent, stagnant coëunt eaque obstruere possunt *vid. Ill. HOFFMANNI diff. de Pancreatis morbis* quare temporis tractu dictæ partes scirrhosæ evadunt. Quem scirrhum demum proxime sequuntur affectus hydropici ob denegatum liberum per dicta loca humorum transfluxum, quare etiam vascula lymphatica nimium distenduntur ac oppilantur, ut rupturam demum pati cogantur, quæ facilius evenire solet ob roboris tonici debilitatem ac fibrarum laxitatem, quam rupturam humoris lymphatico-serosi excipit extravasatio lethalis *conf. Ill. HOFFMANNUS l. c. & diff. de Hydrope Ascite.*

§. XXI.

Obesi quoque proclives sunt ad certamen ineundum cum inflammationibus. Laxior enim corporis habitus magis admittit infarctus, & ob toni sufficientis defectum sanguinis transpressio per partes spongiosas impeditur, quare etiam humorum actualis inducitur stasis *conf. COSCHVV. l. c.* quæ demum degenerat in inflammationem. Præprimis obesos magis infe-

stat *phlegmone* ob humoris seroso-lymphatici luxuriantis præsentiam. Non minus quoque *sphacelus* in obesibus suam ludere solet tragoediam partim ob corporis laxitatem *conf. Ill. HOFFMANNI diff. de corporum dispositione ad morbos* quæ illi resistere nequit, partim ob pinguedinis materiam, quæ in sua mixtione varias alit particulas pronissimas ad putredinosam resolutionem ac corruptionem. Hinc *sphacelus* in obesibus velociter serpere solet, dum e contra in macilentis paulo tardiori incedat gradu. Per quam facile simul concurrunt in hydropicis, quorum abdomini evacuationis sine inflicta fuerint vulnuscula, præprimis si liberioris aëris accessui concedatur locus. Partes enim pingues maxime aëris accessu læduntur, qui ut plurimum corruptionem putredinosam ac *sphacelosam* procreat, præsertim, si locus affectus naturali suo calore per aëris accessum privatur.

### §. XXII.

Obesos *febris catarrhalis* subjectum constituere extra omne versatur dubium. Scatent enim plerumque materia peccante seroso-lymphali ad hunc affectum disponente, quæ facili negotio ab externis aëris injuriis alteratur, quam alterationem æque facile admittit fibrarum mollis ac laxa conditio. Concurrunt simul, ut symptomata, pectoris infarctus, tussis atque gravedo. Ob tonum partium laxiorem & corporis imperspirabilitatem obesi citius acutis afficiuntur morbis & difficilius curantur gracilibus, testante. *Ill. HOFFMANNO in not. ad Poterum p. 117.* Non minus hoc testatur *Celsus Lib. II. Cap. I.* ubi hæc prodidit: *Obesi plerumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulantur.* Pronissimi demum observantur ad febres contagiosas ob pororum laxitatem, fibrarum inertiam & languidiorem sanguinis progressum, quæ omnia disponunt ad materiæ miasmaticæ cum aëre advenientis receptionem. Fibrarum inertia ac debilitas efficit, ut se & excretionum debitarum successus infringatur, materia miasmatica noxia, diutius, quam par est, in corpore retineatur, cum humoribus circumpellatur, iisque tanto promptius corruptionis affricet labem. Hoc extra dubitationis positum est sphaeram, uti apparet grassantibus ejusmodi febribus cum ut plurimum obesiores corporis personæ iis invadantur ac jugulentur. Si itaque petechiis ac ipsa peste invaduntur, ut plurimum naturæ debitum solvere coguntur obesi, cum ad hos superandos morbos vix sufficiant

eorum vires. *conf. Ill.* HOFFMANNUS l. c. *Schilterus de Peste* inter corpora ad pestem opportuna & præparata quoque collocat *obesa*.

§. XXIII.

*Purpura* quoque inimicissima est *obesis*, quare etiam sæpius illa vexantur. Et sane, si *obesorum* perlustremus humores totamque corporis mixtionem, nulla nos subit admiratio, quod pronissimi sint ad ejusmodi morbos, quoniam partium heterogenearum copia scatent atque abundant, quæ levi data causa in actum deducuntur. Duo mihi hic loci noti sunt *obesi*, quos sæpius hic invadit affectus *purpureus*, & nisi omnis semper adhibita fuisset præcautio in ejus medela, diu jam periissent. Non minus quoque novi *obesos* qui per totum fere annum *purpura* excruciantur quasi *chronica*. Me demum non fugit exemplum in viro quodam hujus urbis celeberrimo corporis *obesi*, qui semper humorum laborabat impuritate, ita ut cutis pruritus per totum fere corporis ambitum illum exercuerint. Cum demum in *purpuram* incideret *rubram*, morbi decursus minime respondebat votis, præsertim, cum morbus in *albam* degeneraretur *purpuram*, sub cujus sævitia, spreto omnibus remediis, brevi temporis intervallo, atrocissimis complicatis symptomatibus, ut deliriis & intercurrentibus motibus convulsivis animam anxie efflaret. Non minus subit memoriam recordatio amantissimæ sororis valde *obesæ* quæ *purpura* epidemice tunc temporis grassante correpta intra duarum dierum spatium, catarrho accedente suffocativo, vita fungebatur.

§. XXIV.

Quod *coryza*, *gravedo*, *ophthalmia* ac *cephalalgia serosa* facillime quoque invadant *obesos* cognitum perspectumque habemus, quotidiana attestante experientia. Ratio latet in humoris lymphatico serosi, quo eorum corpora scatent, abundantia, & corporis habitu per se ratione temperamenti, molliore ac laxiore, qui tamen ob pinguedinis molem majori mollitie ac laxitate obruitur. *Asthma* tandem & *catarrhus suffocativus* ex eorum hostium sunt classe, qui ut hostes crudeles & sanguinesitientes omnem exercent tyrannidem in *obesos*, vid. Nenterus l. c. ita ut plurimum iis trucidentur. Accedunt etiam nonnunquam concretiones *polyposæ*. quale quid ante aliquot annos visum fuit hic loci in *Nobile* quodam valde *obeso* *asthmate convulsivo* defuncto, cujus panniculus adiposus tres superaret crassitie digitos, in cujus utroque cordis auriculo

lo concreciones reperiuntur polyposæ. Rationes ex eodem fluunt fonte, quam superiores allegatæ, quare crambe bis cocta nemini volumus esse onerosi ac tædiosi. Musculi pectoris & intercostales maxime sub horum affectuum crudelitate patiuntur, quod apparet ex minore eorum thoracem pro respiratione potentia movendi. *Vid. COSCHW. l. c. p. 313.* Experiuntur itaque abundantissime motus voluntarii defectum atque atoniam & licet non omnis abolita esset potentia movendi ea tamen ipsis denegatur ob pinguedinis molem nimium eos prementem, quare obesi omnibus orbatu mediis ut plurimum intereunt.

§. XXV.

Laborant simul obesi respirandi difficultate, *vid. Timæi von Gülden-Rlee, Casus medicin. Lib. VI, p. 261. seq. & Doletæ Encyclopædia med. dogmat. Lib. I. Cap. X. p. 166.* pectoris oppletione & præcordiorum anxietatibus, quia musculi thoracis ac intercostales in sua actione ob pinguedinis molem, qua nimium prementur ac relaxantur, impediuntur, ac læduntur, læsæ itaque respirationis suppeditat causas nimia obesitas. Dependet enim ex fabricæ musculorum læsione difficultas respirandi secundum SCHAMBERGERVM *in diff. de respiratione læsa §. XXXI.* ubi quoque nimiam accusat pinguedinem, dicens: *quæ (pinguedo sc) incumbens & interposita fibræ motricibus eas ad instationem debitam reddit ineptas.* Ad oppilationem, contabescentiam familiaque truculenta morborum genera inclinant obesi. Rationes subministrat *Cel. STENZELIVS l. c.* ita ajens: *in maximam haud raro molem incresecunt corpora, ipsæque fibræ musculosæ ita relaxantur, ut omnem amittant tonum, motuique continuando haud amplius sint pares; hinc oppilationes, ex oppilationibus contabescencia, vel hujusmodi homines apoplexiæ, catarrhi suffocativi similibusque repentinorum & truculentorum morborum incursum, permanentes eadem corporis mole, sunt obnoxii.*

§. XXVI.

Ob easdem sæpius indigitatas rationes obesi maxime imminent ad diarrhæas serosas, quæ eos levi concurrente causa facile infestant. Nec demum immunes sunt a scabie, si præprimis eorum massa humorum multa salsedinis obruta est acrimonia, quæ illos molestissimo angit vexatque pruritu. Contra apoplexiam sanguineam æque ac serosam & paralytin nullo gaudent privilegio. Nam humores lymphatico-serosi tu-  
bulos

bulos cerebri atque nervorum jam jam debilitatos premendo eorum invertunt officium, unde affectus paralytici, l. illos ultra modum infarciendo rupturam promovent, unde apoplexiæ. *Vid. Ill. HOFFMANNI diff. de Apoplexia.* Sectionis beneficio eorum, qui hoc interierunt morbo, reperimus extravasationem phlegmatis, ut plurimum in cerebri ventriculis circa plexum choroideum. *Dolaus l. c.* quoque testatur obesitas affectus apoplecticos & paralyticos obnoxios esse. Disrupta enim vidit pulmo- num vasa in quodam viro, qui ob nimiam obesitatem & pinguedinem partium sanguinem hunc accipere valentem, paralyti, dein apoplexia extinctus est *conf. Timæus. l. c.* Ex ratiocine & observationibus multiplicibus comprobatum habemus, quod obesi per spontaneas atque communes invasiones morbidas generice periculose affligantur. *Vid. Exc. ALBERTI Juris. prud. med. Part II. p. 390.* Non in minori versantur ac fluctuantur periculo obesi si violentis offensionibus afficiuntur. Hæ enim per quam facile ob obesitatem & humorum abundantiam mortiferas alterationes in partibus solidis æque ac fluidis provocare possunt.

§. XXVII.

Ad sterilitatem tandem quoque inclinant obesi, quia particulæ gelatinosæ ac lymphaticæ in sanguine contentæ in pinguedinem abeunt, quare parum l. nihil seminis, quod eundem agnoscit fontem, elaborari potest. Natura enim libentius ijs semper insistit motibus se- & excretoriis, quibus semel est assuefacta; cum itaque pinguedinis secretionem, concretionem ac appositionem sibi eligerit, eas etiam absolvit, sub quibus demum multum materiæ lymphaticæ ac nutritiæ sanguini detrahitur, ita ut parum l. nihil supermaneat, quod natura ad seminis elaborationem impendi possit, quam sticto pede sequitur sterilitas. Hoc confirmat *Ill. ALBERTI in Jurisprud. medica P. II. p. 518.* ita dicens, *in maribus aliquando obesitas congruam spermatis secretionem impedit & procul dubio ob easdem quas dedimus rationes conf. Fortunatus Fidelis in Relat. Medicorum Lib. III. Cap. IV. p. 362.* ita ajens: *Qui plus nimio obesi sunt ac multa obruti pinguedine, inepti conjugio sunt: tales enim ut exiguum sanguinem in venis habent, ita & semen. conf. Lidelii Ars medica lib. III. cap. XIV. p. 58.* Notum est sanguinem in concreto consideratum fontem ac materiam esse seminis, parum vero sanguinis habent obesi, quia maxima ipsius pars ad pinguedineur



dinem absumitur. Hinc obesi sterilefcunt & ad venerem evadunt inepti *vid. Santorellus de Sanitatis natura Lib. V. p. 143.* quæ confideratio maximam habet utilitatem in medicina forenfi, ubi sæpius controverti folet de Sterilitate. E diametro etiam hæc veritas confirmata feffifit in iis, qui veneri plus jufto indulgent, lufumque venereum quotidie repetis vicibus exercent, quorum corpus maxime vergit ad contabefcentiam. Ad quos enim motus femel inclinatur natura, iis etiam infifit; cum itaque ob continuam feminis ejaculationem motus ad partes genitales & organa spermatis feeretoria invitentur ac deriventur, major quoque & continua contingit feminis fecretio ac elaboratio, qua fanguini optima detrahitur pars nutritia, quo minus poffit pinguedinem elaborare. Avicenna l. c. adducit *obefos & pingues non effe prolificos*, fic enim ille; *& fimiliter ifti non funt generantes neque producentes embryonem & sperma ipforum eff paucum ac tenue & infæcundum vel feminarum generativum.* Non minus quoque ventris luxuriantis pinguedo in foeminis coitus conftituit impedimentum, quæ copulam carnalem f. conjunctionem viri cum muliere impedit. Pudendum enim muliebri adeo ob abdominis molem exuberantem occultatur, ut vir nullo modo fuo membro, nifi longitudinem alias naturalem excedat, poffit ad id pervenire. *conf. Loevv. in Theat. med. jurid. Cap. V. p. 305. ALBERTI l. c. Fortunatus Fidelis l. c. Ætius Lib. XVI. Cap. 26.* qui teftatur quod obefi fermen ad uteri recessus ejaculari non poffint, neque pudenda inter fe aptare, & parum feminis emittant.


#### §. XXVIII.

Non minus quoque impedit nimia obefitas aliorum morborum curationes, quæ per Venæfectionem obtineri debent. Obeforum enim venæ per fe exiftunt exiles, & exinanitæ, pinguedine reguntur, occultantur, stringuntur ac deprimuntur, ita ut evanefci videantur & oculum fere fugiant. Difficile hæc operatio inciforia in obefis inftitui poffit a chirurgis, dum vafa non adeo in vifum cadant, & licet sæpius illas quærendo maxime defudent, per vana nihilominus tentamina in fpem boni eventus instrumentum tantum intrudunt, & sæpius venam intactam fruflra inflictis doloribus relinquere coguntur. Dicit itaque *Fernelius de methodo medendi Lib. II. Cap. XI. p. 32.* *Qui autem præpingis & obefus exiftit, quanquam nimium difpergitur, difficile ta-*

*men Vena Sectionem idcirco sustinet, quod exilibus sit venis, quas exinanitas pinguedo facile stringit, deprimitque, & paulo porro: quibus ampla & turgida spectantur (venæ sc.) tolerabilior est evacuatio, quam quibus angustæ, quales sunt obesorum. Quibus tantum notare voluit, obesitatem maximam difficultatem ac impedimentum, licet non in totum, ex parte tamen, in venis secandis afferre, cui quoque respondet Aristoteles,*

### § XXIX.

Omnes fere scriptores tam veteres quam recentiores in eo demum conveniunt atque consentiunt, obesos maxime pronos esse ad interitum. Testantur hoc Hippocrates, Galenus, Avicenna, Doleus aliique. Citius moriuntur obesi ob sanguinis inopiam, qui pinguedinis elaboratione ipsis detrahitur; Sanguine sic depauperantur. *Santerellus l. c.* igitur dicit, *quæ autem (animantia sc. multum pingua) parum sanguinis habeant, illa sunt ad interitum proniora, quia interitus est quedam inopia sanguinis.* Testatur & Aristoteles, quod illi, qui nimia & immoderata crassitie sunt obesi, subita occupentur morte, ob venas eorum angustas, quæ a pinguedinis compressione obteruntur, ut spiritus libere discurrere non possit, quapropter calor extingueretur innatus, cum etiam aëris refrigerationem non capiant secundum ejus mentem. Subita itaque ut plurimum intereunt morte obesi, & vulgari-ter illorum mors ita, daß sie recht im Fette ersticket wâren exprimi solet. *Hagendornius in historiis medico-physicis Cent. III. Hist. XXIX. p. 317.* refert exemplum de morte ex nimia obesitate orta in viro literati ordinis, qui opinione citius interiit: Plura Exempla colligi possunt ex *Hildan. Oper. Chirurg. Cent. VI. Obs. 97. p. m. 630. Zacuti Lusitani praxi admir. Lib. III. obs. 108. p. m. conf. Timæus l. c. & Langius in Epist. medic. IV. lib. III. p. m. 984.* Evidentum itaque existit ex adductis, obesitatem nimiam scilicet, & limites excedentem, variorum morborum imo mortis causam constituere. Sane si non esset morborum causa & sanitatis impedimentum, artis apollinæ Scriptores nulla commendassent remedia in suis scriptis illam l. removendi l. præoccupandi sine excogitata. Sic quoque obesitatem non ut morbum, sed tantum ut dispositionem ad morbos & morborum causam consideravimus.



## §. XXX.

Ad hoc removendam & præoccupandum sanitatis impedimentum & causam morborum magis remotam aboliendam medici recentiores æque ac neoterici varias deliberationes ac consilia formarunt ac excogitarunt; ast semper irrita ac manca evaserunt. *Galenus lib. 6. de tuend. valet. Cap. 8.* assidua ventris dejectione jussit extenuandos esse obesos. His fretus consuetudinem illam purgantium medicamentorum cum Ligni Quajaci aut Sassaaparillæ decocto miscendorum, laudibus magnis efferre non dubitavit; demum testatur *14. meth. med. 4. 15.* se juvenem valde obesum antidoto nimirum, quæ adversus vitia articularia est composita, sale theriaco ac ipsa theriaca & victu extenuante nec non cursu veloci curasse. *Timæus l. c.* pro illa removenda venam secare, corpus purgare & decocta Ligni sancti & Sassafras propinare curavit, nec non testatur aqua fontis minutam esse obesitatem. Nec non alia prostant apud autores remedia quasi specifica, ut Piper, Sal absinthii, succus citri, acetum, masticatio foliorum tabaci, nec ipse usus Herbæ nicotianæ, quorum encomia ubivis canunt auctores. Si verum dicere fas est exiguum sane solamen profluit ex fonte pharmaceutico, nec minus exiguum adferunt emolumentum præsidia chirurgica ut vesicatoria, fonticuli ac puncturæ cum acubus *vid. JUNCKERUS l. c.* ALBERTI *in Praxi extemporanea* contra nimiam corpulentiam variis insurgit consiliis quæ commendata, ut quilibet habeat, suaderem. Maximum solamen quod adhuc sperari licet resultat in obesos ex fonte diæteticò, quem quilibet pro ratione sui corporis ac naturæ modulo modificare potest. Mutanda itaque multa veniunt, si vitæ sedentariæ ac otio dediti fuerint obesi, eligant sibi vitæ genus laboriosum & frequentiores instituant corporis motus, diætam bonam, lautam, exuberantem, spirituosam ac vinosam, commutent cum tenuiori ac viliori *conf. Stenzelius l. c.* ac quantum possibile, frequentiores interponant corporis motus. De obesorum regimine ac diætâ *conf. Ill. HOFFM. Med. Syst. l. c.* Caveant verò sibi ne ab uno extremo transeant ad alterum uno impetu ac saltu, quæ mutatio repentina naturæ inimicissima ac periculosissima sæpius existit. Id itaque tenendum quod natura non per saltus sed per gradus operari amet, quod etiam observandum in diætæ ac regiminis mutatione. De die in diem enim gradatim aliquid  
semper

semper detrahi, aliquid quoque addi potest, quod quilibet judiciosus pro sui corporis circumstantiarum ratione instituet.

§. XXXI.

An blandæ laxationes exsiccandi fine institutæ aliquid detrahant obesitati, merito dubito experientia contrarium testante edoctus. Fortiora vero purgantia ad temeraria ac periculosa empiricorum pertinent tentamina, a quibus omnes dehortor. Posito sed non concessio, quod intentatus illis obtineatur finis, quis vero præstet cautionem, quod nullam visceri nobiliori infricatam relinquunt labem. Salivationem eum in finem institutam omnimodo rejicio, quoniam plus detrimenti quam emolumenti eo retundare observatur. Parum demum fidei ac fiduciæ ponendum est in Venæ Sectiones. Difficultas ac impedimentum eas administrandi patent ex §. 28. &, licet nullum subesset obstaculum venam secandi, maximam tamen adhuc insurgit dubium, an etiam hæc sanguinis missio votis respondeat, & sine sanitatis periculo celebrari possit. Pro obesorum tuenda bona valetudine id tenendum esse judicio, ut, observatis reliquis huc conducentibus cautelis, se frigori non improvide committant. Frigus enim improvide admissum maxime officit obesos. *Vid. Ill. Hoffm. Med. Syst. Tom. II. Cap. VII. §. 28. p. 427.*

§. XXXII.

Sufficiant hæc pro confirmanda nostra thesi rationis ac experientiæ fulcris subnixa; quibus generalioribus ulteriori meditationi locum facere volui, ut quilibet hujus rei studiosissimus specialiore sibi formare queat applicationem ad reliqua morborum genera. Non enim mihi fuit animus, omnes recensere morbos, qui obesitas insidias struunt, sed nonnullos tantum ad instar exempli proponere volui ulterioris explanationis januam Lectori pansurus, quare etiam sine ullo observato ordine morbos, uti in mentem venerint, generalioribus recensui. Spe teneor dulcissima, hunc laborem non omni fructu in praxi vacaturum esse.

TANTVM!

**E**s zeigt, Gelehrter Freund, Dein Fleiß und fluges Wissen,  
 Wodurch Du andern Dich zum Muster fürgestellt,  
 Was von der Eigenschafft der Körper sey zu schließen,  
 In welchen das Gedyh'n nicht Ziet und Maasse hält,  
 Deswegen lobet auch Hygæa Dein Bemühen,  
 Und dicke Leute sind darüber sehr erfreut,  
 Daß alles Ubel wird durch Deine Curen fliehen,  
 Wozu sie sind geneigt bey Ihrer Fettigkeit.  
 Drum fahre ferner fort mit enfrigem Studiren,  
 Es rücket ohnedem die Zeit allmählig an,  
 Da Dich Hygæa wird mit ihrem Purpur zieren,  
 Den nur ein fleißiger mit Ruhm erlangen kan.

Mit diesen eilfortigen Gedanken wolte sich dem Hn.  
 Respondenten bestens empfehlen Dessen aufrich-  
 tiger Freund

Samuel Rohneck, VVrat. Sil. Stud. Med.

**E**s macht die Fettigkeit dem Körper viel Beschwerden,  
 Wenn sie mit Ueberfluß ihn allzusehr umringt,  
 Deswegen wünscht' ich auch nur niemals fett zu werden,  
 Weil mancher seine Zeit nicht bis zur Helffte bringt.  
 Diß wird, Geliebter Freund / in dieser Schrift gezeiget  
 Daß jener Ueberfluß dem Leibe schädlich sey,  
 Doch da wir beyde nicht zur Fettigkeit geneiget,  
 So sind wir auch gewiß von mancher Krankheit frey,  
 Drum wohl dir daß du weist diß alles zu ergründen  
 Was dir zu seiner Zeit wird einmal nützlich seyn,  
 Du wirst durch diesen Fleiß den schönsten Vorthell finden,  
 Und manchen Kranken einst durch deinen Wiß erfreun.  
 Diß alles wird geschehn / wenn Du durch fluges Wissen  
 Als ein erfahrner Arzt in unsrer Vater- Stadt  
 So Schmerz als Ubel wirst geschickt vertreiben müssen,  
 Das ein Empiricus vor Dir vergrössert hat.  
 Im Geiste seh ich schon Hygzens Priester eilen  
 Wie sie gelehrter Freund vor Dich bemühet seyn  
 Den längst verdienten Lohn Dir würdig zu ertheilen/  
 Und durch den Doctor- Hat Dich völlig zu erfreun.  
 Wenn nun der Lorber wird um Deine Scheitel grünen /  
 So sprech' ich auch alsdann die Musen wieder an,  
 Damit sie meiner Pflicht mit neuem Vorrath dienen,  
 Indessen bleibe mir mit Freundschaft zugethan.

Hiemit wolte wegen abgelegten Speciminis Eruditionis  
 aufrichtigst gratuliren des Hn. Respondenten erge-  
 benster Diener und Better

Carl Wilhelm Jordan, VVr. Sil. J.U.C.